



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

chitas pro ceteris. Hic habes q̄ simpliciter uox dei au-
dienda est. etiam si contra omnem rationem & natu-
ram uideatur quod præcipit illa summa sapietia & c.

CAPVT XXVI.

PRimitiæ omnium fructuū quas lex mandat
primum soluntur obtenta terra, ut agno-
scant illam terrā sese accepisse à deo & om-
nia quæ habent esse dei, quod est fidei, &
hoc ipsum ore confiteantur uerbis ad hoc conceptis,
quia corde creditur ad iustitiam, ore autē confessio fit
ad salutem. Nos quoq; omnia debemus deo per Chri-
stum sacerdotē nostrum & altare, sine quo nihil accep-
tum deo, ne quid nostris uiribus aut iustitiæ arroge-
mus. Per hūc enim deus eripuit nos è regno tenebrarū
& è uexatione conscientiarū, ubi qui præfecti erant
à pharaone operibus nos misere torquebant, ut dici-
tur in Exodo, Et induxit nos in regnū fluens lacte &
melle. i. gratia & pace & gaudio in spū sancto. Esa. 52.
Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis & c.

Syrus. Hic Iacob significatur persecutionē per-
tulisse à Syris quādo fame cogente quoq; sub Ioseph
uenit in Aegyptum, quā tamen persecutionem alia hi-
storia tacet. Nā ad Laban, quod Lyranus putat, hæc nō
pertinent. Ita sanctos suos deus etiam per tentationes
seruat miro modo. Legitur & ante odia concitasse cō-

tra se Syrorum euersa per filios Sichem ciuitate, sed deus terruit propter eum omnes qui habitabant in circumitu, ut dicitur Gen. 34. & 5.

Quando compleueris &c.] De hac decima tertij anni dictum supra ca. 14.

Attuli quod sanctificatum est, id est, quod in usus domini reposui pro pauperibus &c. Sed nunquid haec uerba sunt pharisaica, sicut illa, Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quae possideo &c. Respondeo, Non. Primum quod dicit, Feci omnia &c. Solum intelligitur de ista decima tertij anni, ut res ipsa & uerba indicant, non de omni praeecepto legis. Deinde haec uerba praescribuntur & iubentur a deo, ut dicat is qui dedit decimam tertij anni coram deo apud semetipsum. Et non simile est quod pharisaica superbia praesumit illi quod deus praescribit. Praescribitur autem, ut hic propria conscientiam arguat ubi senserit se non ita fecisse. Praeterea non se iustum dicit quia ista fecit, sed simpliciter dicit se fecisse quod iussus est, & iustitiam precatur adhuc & benedictionem, dicens, Respice &c. quam phariseus se iam habere arbitratur, dicens, Non sum sicut caeteri hominum. Itaque & hic uides quod Christus docet, Cum omnia feceritis quae praeepta &c. Qui locus docet opera non iustificare.

Hodie dominus &c. A duodecimo capite usque ad hunc locum observationes quasdam & leges & iura do-

cuit. Quæ uero nunc usq; in finem libri sequuntur maledictiones sunt transgredientibus præcepta & benedictiones seruantibus. Et inter hæc insignis locus penitentiae est ca. 30. Concludit ergo post leges, dicens, Hodie &c.

Dominū elegisti.

Ergo ne nostra electio præuenit dominū? Vide quod sequitur, En dominus elegit te hodie &c. Tunc eligimus dominū quādo incipimus credere uoci eius, id quod nō possumus nisi ipse prior nobis uocē suā offerat. Unde Christus, Nō uos me elegistis, sed ego elegi uos &c.

Peculiaris] supra cap. 7. & 14.

In laudem & nomē & gloriam suā, hoc pertinet ad uerbum faciet, non ad uerbum creauit. Ad hoc exultat deus fideles ut ipsius nomen sanctificetur & ab ipsis & à gentibus quæ uidēt bonam fidelium conuersationē, ut est in epistola Petri, Non ut nos magnificemur & pharisaica intumescamus superbia, qui nihil sumus, & ex sola dei gratia sumus id quod sumus, quemadmodū de se dixit Paulus.

CAPVT XXVII.

Riges. Hic primū locus est quē eligit dominus, ut ibi inuocetur nomen eius, qui postea electo alio abrogatus est, nam unum tantū uoluit dominus, ut supra dictum. Hic uidetur esse ille mons, de quo mulier Samaritana dixit, Ioannis. 4. Patres nostri in